



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

XXIV. De spoliatoribus & raptoribus stratarum, ex statuto domini Joannis
Tusculani, quod incipit: Spoliatores stratarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

municatos denuntient , certificantes nihilo minus eos ,
quod si in hoc peccato decesserint , ecclesiastica sepultu-
ra carebunt. Quos si rectores scienter sepelierint , simili-
ter ipso factō excommunicationis sententia sunt ligati. Et
manifesti usurarii dicuntur , de quibus est publica vox &
fama , & certa sunt indicia & argumenta , quod pecu-
nias mutuant ad usuras , easque recipiunt , vel fructus rei
pignoratae ex pacto , vel alias sibi imbusant , nec compu-
tant in sortem pecuniae mutuatæ.

XXIV.

*De spoliatoribus & raptoribus stratarum , ex statuto domini
Joannis Tusculani , quod incipit : Spoliatores stratarum.*

Excommunicati sunt ipso factō spoliatores stratarum ,
& raptore transiunt per vias , & eisdem dantes au-
xilium vel fauorem.

XXV.

*De his qui scienter emunt prædam , ex statutis domini Eberhardi
Salzburgensis archiepiscopi.*

Nullus prædam aliquam scienter emere vel tenere præ-
sumat: alioqui nisi infra mensem prædam ipsam , aut eius
estimationem , si deprædata & ablata haberi non possit ,
restituat , excommunicationis sententia percellatur.

XXVI.

*Qualiter decimæ sunt persoluendæ , & qualiter puniri debeant
laici decimas sibi usurpantes , ex statuto domini Guidonis
cardinalis apostolicæ sedis legati.*

Decimæ tam antiquæ , quam etiam de noualibus maio-
res & minutæ , iuxta laudabilem consuetudinem patriæ
integraliter sunt persoluendæ. Et laici decimas , maxime
noualium & minutæ sibi usurpantes , ab ingressu ecclesiæ
usque ad satisfactionem condignam sunt suspensi.

XXVII.

*De his qui imponunt aut exigunt noua passagia , vel antiqua
augmentant , ex statuto domini Ioannis Tusculani
episcopi , quod incipit : Imponentes.*

Noua passagia imponentes & exigentes , vel antiqua